

neant et exempta de nostra dependeat gracia speciali, Prohibemus insuper firmiter et districte ne quis cuiuscunque condicionis aut status ipsas uel bona ipsarum contra tenorem presencium presumat aliqualiter impedire. Datum apud ecclesiam gaarwidhi Anno domini M CCC XL secundo die beati petri in cathedra.

3629.

1342 d. 24 Febr.

Aranäs.

LARS ULFSSON och hans hustru INGRID ANUNDSDOTTER testamentera till Alvastra kloster, der de välja sin graf, jordegendomar i Svärdinge, Mädalby, m. fl. och 2 hus med 4 qvarnar i Norrköping, hvilka egendomar öfverlätas till klostret, lika som de i ett föregående testamente gifna gods; bestämma dag för deras årsbegärgelse m. m.

Orig. på perg. i Sv. Riks Arch.

In nomine patris. et filii et spiritus sancti Amen. Quoniam morte nichil cercius. ac ipsius mortis hora. nichil incercius. humaneque condicionis indigencia. celestis patrie redditum repetit et exoptat. Nos laurencius wlpsson. nec non et dilecta Consors mea. Jngridis anunda dottyr. mentibus compotes. et corporibus sani. mortem nostram. misericordie operibus intendimus preuenire. De bonis igitur nobis a deo concessis. Testamentum nostrum condimus et disponimus in hunc modum. Primo. Monasterio aluastrum. vbi nostram eligimus sepulturam. conferimus vnum attongum terre in swærdinghæ. infra sepes et extra. cum pratis. agris. siluis. piscariis. et omnibus sibi adiacenciis. Qui eciā soluit annuatim. octo thyniones annone. et vnam marcham denariorum. Jtem. Eidem monasterio. duos attungos cum dimidio. in Mæfalby. cum omnibus sibi adiacenciis. infra sepes et extra. qui annuatim soluunt. decem thyniones. vno modio minus cum dimidio et nouem oras et duos solidos cum duobus denariis. Jtem. Eidem monasterio. quartam partem attungi in wadhby cum omnibus suis adiacenciis. infra sepes et extra. qui annuatim soluit vnum thynionem annone et vnam oram denariorum. Jtem. Eidem monasterio. dimidium attungum in gilberghum cum omnibus suis pertinenciis. infra sepes et extra. qui annuatim soluit quinque modios annone cum viginti denariis. Jtem eidem monasterio. duos attungos in swinasætrom. cum pratis. agris. siluis. piscariis. et omnibus suis adiacenciis. infra sepes et extra. qui annuatim soluunt duas marcas denariorum. Item Eidem monasterio. dimidium attungum cum octaua parte vnius attungi in skytingæ. cum omnibus suis adiacenciis infra sepes et extra. qui annuatim soluunt quindecim modios annone. et tres oras denariorum. Item dicto monasterio. duas domus cum qua-

tuor molendinis norkopie situatis ex parte australi ampnis perpetuo conferimus possidendas. Jnsuper nouerint vniuersi. quod dictis monachis in aluastro committimus in plenaria potestate auctoritatem. dicta bona. ipsis per nos tam rite et legittime legata. commutandi et vendendi. et ad utilitatem sui monasterii ordinandi adque(!) disponendi. Volumus eciam vt si Nos tam remote a predicto monasterio mori contingere.(!) vt funera nostra illuc transferri nequeant. quod auertat deus. nichilominus tamen ista donacio. tam legaliter facta et acta. ipsi monasterio cedat. iure perpetuo possidenda. Jnsuper. Cuilibet Ecclesie. in cuius parrochia curiam edificatam possidemus. duas marchas denariorum conferimus. vnam Ecclesie. et alteram curato. Notificamus insuper omnibus. quod bona quidem. scilicet. dictis monachis in aluastro. prout litterarum nostrarum tenor lucidius sonat contulimus. in priori testamento nostro. quod nunc isto testamento superueniente nullius sit momenti. et rationabiliter assignauimus. que quidem bona vna cum istis. que nunc conferimus. scilicet. presenti scripto. eis adiudicamus. appropriamus. et in eorum dominium perpetuo iure legittime transferimus et irreuocabiliter ratificamus. Rogantes et uolentes. vt nullus heredum nostrorum seu cognatorum vel liberorum nostrorum. donationem istam. quam non leui mentis impulsu. sed deliberacione diligenti adhibita. amicorum et cognitorum consilio fecimus. audeat impetrare vel quomodolibet voluntatem nostram infringere presumit. ne saluti animarum nostrarum et liberorum nostrorum ibidem requiescencium sit contrarius adque reus. Nouerint igitur vniuersi quod bona sepedicto monasterio. tali ratione per nos sunt legata. quod anniuersarium nostrum. sequenti die post anniuersarium domine Cristine fastonis quondam filie. cum vigiliis et missis omni anno in conuentu celebretur. Ut hec donacio eo sit firmior quo maiori discretorum suffulta fuerit noticia. sigillum meum. vna cum sigillis. dilecte consortis mee Jngridis anunda dottyr et domini iohannis knuzson et predilecte consortis sue. domine Elene filie mee. et karissimorum filiorum meorum. wlphonis hamo et hongeri hamo. et birgheri alguzson. et dilecte consortis sue. domine Cristine filie mee. duximus apponenda. Datum in curia nostra æærænøs. anno domini. M°. CCC°. XL°. secundo. in die beati Mathie apostoli.

På frånsidan: Testamentum domini Laurencij wlps son et de swerdinghe et insula ibidem.

Sigillen: N:o 1, 3—6 borta, remsvna qvar; N:o 2 ... gridis vxoris p'o Lav.... (en stående qvinna håller i högra handen en hjelm i den venstra en sköld med 3 stengaflar).